

Unde formalis ratio iudicii seu eius obiectum formale est prorsus simplex; est enim nexus ille indivisibilis identitatis vel diversitatis inter subiectum et praedicatum.

III. *Natura propositionis*: Sicut idea vocabulo, ita iudicium exprimitur *propositione* vel ore vel scripto pronuntiata, quae definitur: „Oratio, quae aliquid affirmat aut negat“. (Κατάφασις = propositio affirmativa; ἀπόφασις = propositio negativa).<sup>1)</sup> Oratio autem distinguitur *imperfecta*, quae sensum non integrum habet e. g. legere, et *perfecta*, quae sensum habet integrum. Haec iterum dividitur in *enuntiativam*, *admirativam*, *interrogativam*, *imperativam*, *deprecativam*, *optativam*, *concessivam*. Sola *enuntiativa* a logicis attenditur, quia sola per se affirmat vel negat.

IV. *Materia et forma propositionis*: Tribus elementis propositio constat: *subiecto*, de quod aliquid praedicatur, *praedicato*, quod praedicatur, et *copula*, quae est signum identitatis vel diversitatis inter subiectum et praedicatum.

1. Subiectum et praedicatum vocantur *materia*, copula vero *forma* propositionis. Unde propositio simplex reducitur ad formam: S est P, et vocatur propositio de tertio adiacente. Saepe autem fit, ut non hoc modo proferatur; potest enim propositio a) duobus (de secundo adiacente: ego audio), immo uno termino constare, e. g. audio. Tunc resolvenda est in propositionem de tertio adiacente: ego sum audiens; et subiecto potest alia vox substitui, sicut fit in dictionibus impersonalibus: pluit.<sup>2)</sup> b) Fieri potest, ut vel subiectum vel praedicatum vel copula vel tria haec propositionis elementa sint termini complexi: Alexander magnus, rex Macedonum, devicit Persas. Haec propositio resolvenda est in formam simplicem: Alexander . . . est victor Persarum. In priore propositione termini incidentes vel appellativi, qui subiectum afficiunt (magnus, rex Macedonum) facile intelliguntur; sed copula potius explicanda esse videtur.

2. *Copula* igitur propositionis semper est *verbum „esse“ substantialiter sumptum modo indicativo temporis praesentis*. Distinguitur enim *verbum „esse“ verbaliter et substantialiter sumptum*. Priori sensu significat *existere*: Deus est = Deus est existens; altero vero significat *primario identitatem* inter subiectum et praedicatum a mente nostra cognitam et affirmatam; (supponit igitur subiective pro actu mentis; *secundario autem significat etiam identitatem vel diversitatem obiectivam* inter subiectum et praedicatum ac proinde pro rebus

<sup>1)</sup> Arist. Periherm. c. 6; anal. pr. I, 1. S. Thom. opusc. 48 de enunciatione.

<sup>2)</sup> Non videntur esse iudicia sine subiecto, quemadmodum nonnulli (cf. Überweg-Heinze IV<sup>9</sup>, p. 314; Braig, Logik, p. 53) censent; nam iudicium sine subiecto, licet maxime indeterminato, non iam esset iudicium.

ipsis supponit. Neque enim solum in mente mea Petrus est mortalis, sed in seipso.) Hoc sensu *verbum „esse“* sumendum est, ut sit *copula propositionis*, et sic latet in omnibus verbis. Deinde accipiendum est *modo indicativo*; alias enim non enuntiat; tertio *tempore praesente*; aliis enim temporibus *verbum „esse“* non simpliciter *identitatem* significat, sed restringitur ad certam relationem temporis, quae praedicatum afficit; unde propositio: iusti erunt felices, resolvenda est: iusti sunt futuri felices. Nonnunquam *verbum „esse“* omittitur, ita ut vel modo dictionis per *emphasim*, vel ordine propositionis, sicut fit in linguis isolantibus, *suppleatur*; semper tamen *supponitur*<sup>1)</sup>; aliud est enim terminus complexus, aliud *affirmatio obiectiva* in propositione.

V. *Dispositio propositionis*: Quum praedicatum per identitatem subiecto tribuatur, oportet illud sub *extensione sua* contineat, ideoque *conceptus praedicati vel latius vel saltem aequae lato patere debet ac conceptus subiecti*. Si ultimum, duo illi conceptus erunt *intrinsece identici*, et praedicatum est *definitio subiecti*, vel *speciem eius constituit*; si primum, praedicatum vel ut *genus*, vel ut *differentia specifica*, vel ut *proprium*, vel ut *accidens subiecto tribuitur*, ac proinde semper erit *conceptus simplicior quoad comprehensionem et per consequens universalior quoad extensionem quam conceptus subiecti*. *Naturalis igitur dispositio iudicii tunc adest*, si *conceptus simplicior ac proinde universalior locum praedicati occupat*, e. g. homo est mortalis; et tunc propositio vocatur *naturalis*. Nonnunquam autem *ordo invertitur*, ita ut *conceptus per se universalior locum subiecti occupet*; quod si fit, *necessario in suppositione vel singulari vel particulari esse debet*; e. g. aliqui mortales sunt homines; talis propositio vocatur *inversa*.

## Caput II: Divisio propositionum.

Propositiones diverso modo dividuntur; alii enim distinguunt *ratione veritatis*: veras et falsas; *ratione certitudinis*: certas, probabiles, dubias; *ratione fontis*: analyticas (a priori) et syntheticas (a posteriori); *ratione modi*: mediatas et immediatas. Quae divisiones quum potius spectent ad *modum nostrum cognoscendi ac proinde*

<sup>1)</sup> Wundt videtur immerito negare, copulam esse elementum necessarium omnis propositionis (Log. I, 165), praesertim quum omnia iudicia ad subsumptiva reduci possint, immo debeant, ut vera sint, etiamsi praedicatum sit *verbum vel adiectivum*, quibus semper *conceptus aliquis genericus vel specificus subiecti supplendus est*: e. g. Alexander devicit Persas = est victor Persarum; Petrus est sanus = homo sanus.



ad criticam pertineant<sup>1)</sup>, illae nobis divisiones in dialectica explicandae esse videntur, quae propositionibus *per se*, i. e. ratione formae logicae conveniunt. Cum igitur essentia vel forma propositionis sit in identitate inter subiectum et praedicatum ponenda, distinguimus primum ratione *formae* propositiones *categoricas* et *hypotheticas*. *Categoricae*<sup>2)</sup> sunt, quae subiecto praedicatum simpliciter tribuunt, *hypotheticae*, quae sub conditione tribuunt.

### § 1. Propositiones categoricae

Categoricae subdividuntur in *simplices* et *compositas*, prout constant vel non constant pluribus propositionibus, sive habent complexum vel subiectum vel praedicatum vel copulam.

Simplices vero iterum dividuntur I. *ratione quantitatis*, quae est in extensione subiecti: 1<sup>o</sup> in *singularem*, si subiectum habet suppositionem singularem: Plato, hic homo currit; 2<sup>o</sup> *particularem*, si subiectum habet suppositionem disiunctivam vel disiunctam: aliqua corpora coelestia sunt planetae; 3<sup>o</sup> *universalem*, si subiectum habet suppositionem distributivam; et haec universalitas est a) *metaphysica*, si praedicatum subiecto necessario, i. e. per essentiam convenit: homo est rationalis; theoremata mathematica; b) *physica*, si cursu ordinario naturae praedicatum subiecto convenit (leges physicae), e. g. corpora sunt gravia; c) *moralis*, si nexus inter subiectum et praedicatum legibus moralibus fundatur: mater amat filios; 4<sup>o</sup> *infinita*, cuius subiectum quoad extensionem non est determinatum; homines sunt sapientes. In hoc casu si subiectum habuerit suppositionem vel materialem, vel logicam, vel realem absolutam, propositio erit singularis; si vero subiectum habeat suppositionem personalem, propositio erit universalis in materia necessaria, particularis in materia contingenti: homines i. e. aliqui sunt iniusti.<sup>3)</sup>

II. *Ratione qualitatis*, propositiones categoricae dividuntur in *affirmativas* et *negativas*.<sup>4)</sup>

<sup>1)</sup> Idem dicendum est de divisione iudiciorum ratione materiae simul et fontis: Wahrnehmungs- und Vorstellungsurteile; Tätigkeits- und Eigenschaftsurteile; cfr. Müller l. c. 79–80; vel „erzählende, beschreibende, erklärende Urteile“ ratione praedicati (Wundt). <sup>2)</sup> Propositiones categoricae non sunt confundendae cum assertoriis, quae sunt affirmativae; illae vero possunt esse negativae et affirmativae, ac proinde assertorias continent; unde non admitenda est divisio Kantiana (l. c. p. 95) iudiciorum in categoricas et assertorias tanquam inter se plane distinctas, et per consequens reiciuntur categoricae inde deductae tanquam inter se distinctae: Substantia et accidens; existentia et non-existentia. <sup>3)</sup> Categoriam quantitatis Kant derivat ex subiecto, non ex praedicato iudicii, ut oporteret; quare eius categoriae quantitatis est reicienda. <sup>4)</sup> Hanc divisionem veterum Wundt videtur improbare (Log. I, 212),

1. *Affirmativae* tribuunt subiecto praedicatum per copulam „est“ vel explicite vel implicite; *negativae* vero separant subiectum et praedicatum per particulam „non“ copulae appositam. Si particula „non“ subiecto praeponitur, propositio vocatur *infiniti subiecti*, et est in se affirmativa: non amare Deum est vitium; si vero praedicato praeponitur, vocatur propositio *infiniti praedicati*, quae facile in propositionem negativam vertitur: homo est non-lapis.<sup>1)</sup> Quum propositiones vel universales sint vel particulares, ratione qualitatis quattuor modi distinguuntur: a) universalis affirmativa, quae littera a designatur; b) particularis affirmativa, quae littera i notatur; c) universalis negativa, quae littera e significatur; d) particularis negativa, quae littera o exhibetur; unde versiculus ab antiquo usitatus:

Asserit a, negat e, verum generaliter ambo;

Asserit i, negat o, sed particulariter ambo.

2. *Regulae*: In propositione *affirmativa* praedicatum tribuitur subiecto: a) secundum totam *comprehensionem*; nam si una nota, licet per se solum accidentalis, non conveniret subiecto, falsum esset iudicium affirmativum; b) non secundum totam *extensionem*; nam conceptus praedicati, nisi est definitio i. e. nisi tanquam species tribuitur subiecto, semper est simplicior ac proinde universalior subiecto (vide supra pag. 39). Praedicatum igitur propositionis affirmativae semper habet suppositionem disiunctivam vel disiunctam: S est aliquod P, nisi praedicatum et subiectum sunt termini aequivalentes, i. e. nisi habent eandem extensionem, sicut conceptus speciei et proprii. — *Veritas* igitur adest in propositione affirmativa, si praedicatum secundum totam comprehensionem convenit subiecto ideoque subiectum continetur in extensione praedicati, praedicatum autem in comprehensione subiecti.

In propositione *negativa* praedicatum excluditur a subiecto: a) secundum totam *extensionem*, quia si unum ex inferioribus conveniret subiecto, falsa esset propositio; e. g. homines non sunt bruta, falsa esset haec propositio, si unum brutum, e. g. simia esset homo; unde praedicatum semper habet suppositionem distributivam: S est nullum P; b) non vero secundum totam *comprehensionem*, nisi collective sumptam; sufficit enim in comprehensione una nota insociabilis cum subiecto, ut tota comprehensio a subiecto removeatur; sic *homo* et brutum communem habent rationem genericam animalitatis, differunt

quia iudicia primitiva semper sunt affirmativa et negativa supponunt positiva. Quod quanvis verum sit, non tamen probat illam distinctionem non rectam esse, praesertim si forma, non sola materia iudiciorum spectatur. <sup>1)</sup> Unde apparet, tertiam categoriam Kantianam ratione qualitatis, i. e. limitationem, quae hoc iudicio fundatur, esse reiciendam, quia iudicium infinitum vel a negativo vel ab affirmativo per se non est distinctum.



vero notis „rationale et irrationale“, quae cum contrariae sint, ab eodem subiecto se excludunt. — *Veritas* igitur adest in propositione negativa, si subiectum non invenitur in extensione praedicati, ac proinde per aliquam notam ab ipso discrepat.

III. *Ratione compositionis* iterum dividuntur: in *aperte, occulte, apparenter* compositas vel *complexas*.

A. *Aperte* compositae sunt, quae pluribus propositionibus simplicibus constant, et possunt esse:

a) *Copulativa*, quae plura subiecta vel praedicata coniungit copula „et“: Petrus et Paulus fuerunt apostoli et martyres. Ut sint *verae*, simplices in quas resolvi possunt propositiones, debent esse *verae*.

b) *Adversativa* vel *discretiva*, quae plura subiecta vel praedicata particulis adversantibus coniungit. Ad eius *veritatem* requiritur, ut simplices, quibus constat, propositiones sint *verae*; *ad rectitudinem* vero requiritur aliqua saltem oppositio inter singulas partes, e. g. Iudas fuit apostolus, non autem martyr, immo Christum prodidit, est propositio vera et recta. Iudas fuit proditor, sed 40 annos natus, est propositio certe non recta, forsitan etiam non vera.

c) *Relativa*, quae partes connectit particulis relativis et potest esse: relatio temporis: postquam etc.; loci: ubi etc.; similitudinis vel dissimilitudinis, identitatis vel diversitatis: talis qualis; consecutionis: ita-ut, causae et effectus: quia etc., finis et mediorum: ut etc. Nexus inter propositiones hoc modo coniunctas potest esse metaphysicus, physicus, moralis; necessarius et accidentalis; realis et logicus. — Ad *veritatem* requiritur tum singularum propositionum, tum nexus veritas.

B. Propositiones *occulte compositae* illae sunt, quae licet forma simplici exhibeantur, revera sunt compositae et expositione indigent; propositiones, in quas resolvuntur, vocantur exponibiles. Sunt autem:

a) *Exclusiva*, quae vel subiectum vel praedicatum afficit particula exclusiva; in primo casu vocatur *exclusi subiecti*: Tantum Socrates est philosophus; in secundo casu est *exclusi praedicati*: Socrates est philosophus tantum. — Exclusiva *affirmans* exponitur per copulativam, quae constat ex propositione una affirmativa et altera negativa: Tantum Socrates est philosophus = Socrates est philosophus et alii non sunt. Requiritur ad *veritatem* exclusivae affirmantis, ut exponentes sint *verae*.

Exclusiva *negans* potest vel particulam exclusionis vel copulam vel utrumque negare et exponitur propositione composita adversativa: Non tantum Socrates est philosophus = Socrates est phil., sed et alii. Tantum Socrates non est philosophus = Socrates non est . . ., sed alii sunt. Non tantum Socrates non est philosophus = Socrates non est phil., sed et alii non sunt. Ut *vera* sit propositio

exclusiva negans, observandae sunt regulae propositionis adversativae sub b) supra expositae.

b) *Exceptiva* est, quae praedicatum tribuit solum parti extensionis subiecti adhibita particula: praeter etc.; e. g. omnia sunt finita praeter Deum. Reducitur ad exclusivam; quod enim haec in recto, illa in obliquo exprimit. Potest tum affirmative, tum negative exponi. Ad exceptivam reducuntur *inceptivae* et *desitivae*: Hoc tandem anno bellum cessavit. — Addendum est, exceptivam posse esse *negativam* et mere *praecisivam*. Illa exponitur per negativam, ut in exemplo allato; haec non, sicut s. Augustinus (lib. I, de adult. connub. c. 9), exponit illud Matth. 19. 9; cfr. Matth. 1, 18. Genes. 8, 7; II Reg. 6, 23.

c) *Comparativa* est, quae praedicatum subiecto plus vel minus quam alteri convenire affirmat; unde tria iudicia in se continet: Petrus maior est Paulo = Petrus est magnus, et Paulus est magnus, sed Petrus est magnus maiore gradu. *Inepta* est, si praedicatum non utriusque subiecto convenit; *falsa* est, si praedicatum non illo gradu, qui affirmatur, subiecto competit.

d) *Reduplicativa* et *specificativa* tribuunt subiecto praedicatum sub aliqua ratione, quam exhibent particula geminante: quatenus etc. (Prior indicat rationem accidentalem naturae superadditam ac proinde restringit vel comprehensionem vel extensionem subiecti: homo qua philosophus ratiocinatur, Petrus quoad colorem est albus. Altera rationem addit quoad naturam ipsam subiecti; ac proinde in propositione specificativa particula geminans saepe omittitur: homo (qua animal) dormit. Haec exponitur copulative, illa modo causali.) *Ad veritatem* requiritur, ut in reduplicativa ratio addita sit vera, in specificativa terminus incidens conveniat naturae subiecti.

C. Propositiones *apparenter compositae* vel *complexae* sunt, quarum subiectum, vel praedicatum, vel copula est terminus complexus (vide supra pag. 32). (Si copula est terminus complexus, vocatur *modalis*; si subiectum vel praedicatum est terminus complexus, vocatur *proprie complexa* vel de *extremo coniuncto*. Subiectum et praedicatum enim appellantur *extrema* propositionis: Deus omnipotens mundum creavit; in qua propositione quasi duae latent partes vel propositiones ratione termini incidentis, qui etiam propositione relativa exprimi potest: Deus, qui est omnipotens, mundum creavit.

Ad propositiones complexas pertinent etiam illae, quae habent verbum tempore praeteriti vel futuri, vel cum casu obliquo coniunctum.

1. *Propositiones proprie complexae* dividuntur ratione terminorum incidentium: a) in *restrictivas*, in quibus terminus principalis vel subiecti vel praedicati secundum partem comprehensionis vel



extensionis sumendus est: Homines peccatores punientur; Petrus est niger capillis, fortis manibus; et b) *explicativas*, in quibus subiectum vel praedicatum secundum totam extensionem, vel comprehensionem supponit: Homo mortalis miseriis subicitur. Huc pertinet etiam terminus appellativus: Alexander erat imperator *magnus*. Prior per se non continet duas propositiones. Nisi igitur terminus incidens iam iudicium supponat, non resolvi potest exemplum allatum hoc modo: Homines punientur et peccatores punientur; altera vero in duas resolvi potest propositiones copulative coniunctas: homo est mortalis et miseriis subicitur, et tunc est occulte composita i. e. specificativa.

*Veritas* propositionis *restrictivae* pendet a termino incidente, qui conditionem vel rationem indicat, cur praedicatum subiecto tribuatur. *Veritas* autem propositionis *explicativae* non pendet a termino incidente; praedicatum enim termino principali per se tribuitur. Terminus autem incidens potest esse falsus ratione iudicii, quod in ipso latet, e. g. anima *extensa* informat corpus.)

2. *Propositiones modales*: 1<sup>o</sup> *Notio*: Propositiones modales sunt, quae etiam *modum* indicant, quo praedicatum subiecto tribuendum est. Ut igitur propositio sit vere modalis, requiritur: a) ut modus non solum obiective adsit, sed etiam *exprimatur*; b) ut obiectiva relatio praedicali ad subiectum, non solum modus noster cognoscendi designetur: verum, falsum, probabile etc.; c) ne solum modus praedicali significetur per adverbium: Petrus velociter currit; sed d) ut modus afficiat *copulam* propositionis compositae: Deum esse necessarium est = Deus necessario existit; non vero: Petrus velociter currit = velox est, Petrum currere.

2<sup>o</sup> *Divisio*: Praedicatum potest esse ratione subiecti: a) *necessarium*, si non solummodo est, sed non potest non esse: Deus est necessario iustus; b) *possibile*, si non est, posset tamen esse: hodie pluere possibile est; c) *contingens*, si est, sed posset non esse: hodie contingit pluere; d) *impossibile*, si non est neque esse potest: Deus non potest esse iniustus.

3<sup>o</sup> *Expressio*: Propositio modalis potest duplici modo exprimi: a) propositione apparenter simplicis, ita ut modus sit terminus incidens copulae: Deus necessario est iustus; b) propositione composita, ita ut modus fiat praedicatum propositionis: necessarium est, Deum esse iustum; et haec expressio est propria. Patet ergo, omnem propositionem modalem posse reduci ad categoricam.<sup>1)</sup> In altera expressione propositionis modalis propositio dependens vocatur *dictum*,

<sup>1)</sup> Unde divisio Kantiana, in quantum est iudiciorum *primitivorum*, ac proinde eius tres categoriae modales inde deductae: Möglichkeit-Unmöglichkeit, Dasein-Nichtsein, Notwendigkeit-Zufälligkeit, sunt reiiciendae.

regens vero *modus*: hic constituit formam, illud materiam propositionis modalis.

4<sup>o</sup> *Qualitas* propositionis modalis est in ipso modo, qui si affirmatur de dicto, est *affirmativa*; si negatur, est *negativa*; unde propositio: hodie non pluere, est possibile, affirmativa est, quia modus dicti affirmatur, licet dictum sit negativum. Modi affirmantes sunt: necessarium et possibile; modi negantes: impossibile et contingens. Quamvis enim in modo possibili et contingenti sit elementum tum affirmativum tum negativum, in conceptu tamen possibilis affirmatio (posse-esse), in contingenti negatio (tendentia ad non esse = posse non esse) praevalere videtur.)

5<sup>o</sup> *Quantitas* propositionis modalis potest considerari: a) in *dicto*: et tunc est vel universalis, vel particularis, vel singularis; b) vel in *modo*, et tunc est *universalis* in modali necessaria et impossibili, *particularis* in contingenti et possibili.

6<sup>o</sup> *Veritas* adest, si modus est verus, (i. e. si modus *superior*, quam qui re vera locum habet, in praedicatione non adhibetur; non ergo praedicatum, quod contingenter subiecto convenit, ei necessario tribui potest. Nil autem impedit, quominus modus inferior adhibeatur, quamvis superior locum habeat, modo ne inferiore excludatur; sic licet dicere: Deus est iustus, cum tamen Deus necessario sit iustus.)

## § 2. Propositio hypothetica.

Propositio *hypothetica* est ea, quae vel affirmationem vel negationem unius propositionis ab altera dependentem facit. Tres distinguuntur eius species: *conditionalis*, *disiunctiva*, *coniunctiva*.

### A. Propositio *conditionalis*.

1. *Notio*: Propositio *conditionalis* constat duabus partibus; prior vocatur *conditio* seu *antecedens* et afficitur particula „si“, „nisi“ vel signo aequivalenti; altera pars vocatur *conditionatum* seu *consequens*.

(Differt a propositione categorica: a) *ratione materiae*, quae in categorica sunt subiectum et praedicatum, in conditionali antecedens et consequens; b) *ratione formae*, quae in categorica est in copula identitatem vel diversitatem subiecti et praedicali exprimente, in conditionali vero forma est in nexu inter antecedens et consequens. Hic nexus vero consistit in dependentia conditionati a conditione, quae dependentia potest esse vel solum logica, vel logica et simul ontologica: si mundus existit, Deus existit; si mundus est creatus, existit. Unde videtur esse differentia essentialis inter utramque propositionem, etiamsi categorica forma conditionali et conditionalis in forma categorica exprimi possit.<sup>1)</sup>)

<sup>1)</sup> Neque ratio, quam E. Fischer, Gesetz der Entwicklung, pag. 100, adducit, contrarium evincere videtur. Porro cfr. Philos. Jahrb., 1900, p. 209.



2. *Qualitas* propositionis conditionalis non est in affirmatione vel negatione antecedentis (conditionis), vel consequentis (conditionati), sed *nexus*. Unde propositiones: Si mundus existit, etiam Deus existit, et: si Deus non existit, neque mundus existit, sunt ambae *affirmativae*, quia nexus, i. e. dependentia inter Dei et mundi existentiam in utraque affirmatur. Propositiones vero: Etsi Deus existit, non tamen eo ipso mundus existit; licet fulguraverit, non tamen tonavit, sunt *negativae*, quia utraque negat nexum i. e. dependentiam unius partis ab altera. Propositio conditionalis affirmativa fit negativa eo quod negationis particula conditioni praeponatur: Non si Deus existit, mundus existit = etsi Deus . . . non tamen . . .

3. *Quantitas* propositionis conditionalis pendet ex *nexu*: qui si erit *necessarius* (metaphysice, physice vel saltem moraliter), erit propositio *universalis* (quoties-toties); si vero est *accidentalis*, erit propositio *particularis*: nonnunquam, plerumque si fulgurat, tonat.)

4. *Veritas* propositionis conditionalis non est quaerenda in antecedente vel consequente, sed in *nexu* inter utrumque; si igitur nexus adest, est vera, secus falsa. Potest igitur utrumque esse falsum, quin ipsa propositio conditionalis fiat falsa; ita in propositione: si Deus non existeret, neque mundus existeret, et conditio et conditionatum falsa sunt, ipsa autem propositio conditionalis vera est, quia nexus adest. In propositione: si Deus existit, etiam mundus existit, et conditio et conditionatum vera sunt, propositio autem ipsa falsa est, quia nexus non adest.

#### B. *Propositio disiunctiva*:

1. *Notio*: Propositio disiunctiva est ea, in qua subiectum vel praedicatum constat partibus, quae se excludunt eodem tempore vel in eodem subiecto, et connectuntur particulis: aut-aut. (Illae partes vero possunt se excludere contradictorie: homo est aut rationalis aut non; vel contrarie: hic homo est aut puer aut senex; vel privative: hic homo est aut videns aut caecus; vel relative: hic homo est aut pater aut filius.

2. *Divisio*: Dividitur in *proprie* disiunctivam, in qua omnia membra se excludentia enumerantur, ita ut uno admissa cetera neganda sint: aut sto aut non sto; et *improprie* disiunctivam, in qua non omnia membra enumerantur, sed particula „saltem“ coniunguntur ita, ut possint simul esse vera, non simul falsa: vel Petrus vel (saltem) Paulus Romae obierunt.

Distinguenda est propositio disiunctiva: a) a *divisiva*, quae in forma disiunctiva *inferiora subiecti*, i. e. extensionem eius in praedicato exhibet ac proinde in propositiones categoricas copula „et“ coniunctas resolvitur, quae se invicem non excludunt: Animal est aut (et) homo aut (et) brutum; corpora coelestia sunt aut stellae fixae aut planetae. Propositio vero disiunctiva

subiectum potius quoad *comprehensionem* dividit, i. e. generi in praedicato exhibito subordinat: homo aut mortalis est aut immortalis; b) ab *explicativa*, quae pro una voce aliam substituit idem significantem: Planetae vel stellae errantes orbitam habent eclipticam.)

3. *Veritas*: *Conditiones ad veritatem* propositionis disiunctivae requisitae sunt: a) divisio sit *adaequata*, quod praesertim attendendum est, si partes privative vel contrarie vel relative opponuntur, quia saepe admittunt medium; unde falsa est disiunctio; aut sedeo aut sto. In propositione improprie disiunctiva particula „saltem“ supplet divisionem adaequatam. b) ut partes *perfecte opponantur*, ita ut se excludant; hinc falsa disiunctio: aut sedeo aut lego aut dormio. (Patet, has regulas non valere, nisi pro propositione *proprie* disiunctiva. — Eaedem regulae sunt observandae in propositione divisiva; unde falsae sunt propositiones divisivae: Omnes homines aut Europaei aut Asiates; aut Europaei aut Itali sunt.)

#### C. *Propositio coniunctiva*

est illa, quae negat duo subiecta vel praedicata *simul* esse posse vera, licet simul falsa esse possint; (ac proinde distinguitur a disiunctiva perfecta, in qua membra neque simul vera, neque simul falsa sunt; a disiunctiva imperfecta, in qua membra simul vera, non simul falsa; a divisiva, in qua membra simul vera et simul falsa esse possunt. Porro propositio disiunctiva (et divisiva) semper est affirmativa, coniunctiva autem semper negativa: Homo non potest simul sedere et ambulare; potest vero neutrum facere, e. g. stare, lecto decumbere.) Requiritur igitur ad veritatem, ut partes coniunctae *simul* in subiecto vel praedicato se excludant.

Propositiones tum disiunctivae tum coniunctivae facile in conditionales mutantur, ita ut in disiunctiva negato uno membro alterum inferatur, et vice versa: in coniunctiva vero affirmato uno membro alia negentur, non autem vice versa.<sup>1)</sup>

### Caput III: De propositionum relatione.

#### § 1. De oppositione.

1. *Natura et species oppositionis*. Propositiones, quae diversam materiam, i. e. diversum subiectum et praedicatum habent, vocantur *disparatae*, neque quidquam speciale de eis dicendum est. Si vero

<sup>1)</sup> Cfr. Wundt (System der Philosophie, 1897<sup>2</sup>, p. 49 sq.) idem censens. Ex hoc patet, etiam diversas illas relationis categorias, quas Kant ex iudiciis hypotheticis et disiunctivis derivat, i. e. causam et effectum, mutuam actionem, non admittendas esse. Cur non etiam ex iudiciis divisivis et coniunctivis categorias deduxit?